PAUPERTAS

VITUPERATA:
LAUDATA:
NEC VITUPERATA NEC LAUDATA:
CUM CAUTIONE VINDICATA.

Oratorio Specimine,

IN ILLUSTRI GYMNASIO
Anhaltino,

à

Quinq; nobilibus bonæq; ſpei adoleſcentibus edito.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE

SERVESTÆ, Typis Andreæ Bezelij,
ANNO M. DC. XXXIII.

Nobiliſſimo Viro,

TOBIÆ HÜBNERO,

Hæreditario in Reupzigk, &c.

Illuſtris Deſsäenſis aulæ Magiſtro, Conſiliario Anhaltino,

Dn̄. Patruo, Affini & Mecænati ſuo, ſubmiſsè colendo,

Specimen hoc oratorium & primos conatus

Dicant & conſecrant,

Quorum nomina ſingulis orationibus ſubſcripta ſunt.

Rector

Rector

GYMNASII ANHALTINI

Studioſis & ſtudiorum cultoribus
Salut:

Udum & molle lutum es, nunc, nunc properandus & acri
Fingendus ſine fine rotâ.

IT A adoleſcentiam affatur Satyricus: *ita adoleſcentiæ formatores inſtruit. Uſus fere luti non eſt, niſi formam ſumſerit: formam non ſumit, niſi molle ſit, niſi artificis peritè fingatur rotâ. Eadem adoleſcentiæ ratio eſt. Omnis in eâ publicæ rei ſpes, ſi probè formetur, & ad ideas virtutum, eloquentiæ ſolidæq́ue eruditionis*

Perſius Satyr. 3.

 nis

nis maturè ſingatur: dum mollis eſt, dum adoleſcentia eſt. Unde rigidus ille omnis ætatis

Epiſt. 25. *formator* Seneca : Quadragenarium pupillum cogitas ſub tutelâ tuâ continere? Reſpice ætatem ejus, jam duram & intractabilem: tenera finguntur. *Ita infantiæ primorum veſtigiorum & greſſuum fiduciam ſedulâ manuductione conciliamus, ut gradiendi prius concipiat deſiderium, quàm facultatem exerat. Et iis, qui ad fidicinam deſignantur, in ipſis jam cunis plectrum dari, & nondum prorſus ſoluta laceratæ Cytharæ compages ſolet, ut ipſa quaſi lux antiquior non ſit, quàm diſcendæ artis rudimentum. Idem in Scholis tentamus. Sunt eæ quaſi cunæ adoleſcentiæ mollis, in Reipubl: Spem educandæ & formandæ. Seriarum rerum præludia damus, & in ludo, per ludum,* Socraticæ *ſeveritatis perſonam &* Herculis *cothurnos, per jocum, pueris & adoleſcentibus induimus, maturè ut laudabili quadam ambitione accendantur, auguſta quantumvis anguſtis adhuc mentibus concipiant, & qualesquantiq; futuri ſint,*

tem-

tempeſtivè cogitent. Qui enim virum non cogitat, niſi in ætate virili, in virum nunquam evadet, nec magnus, qui, antequam fiat, magna non cogitat, & præſumtione magnitudinis paulatim non creſcit.

Viam hanc ineunt nobiles & bonæ ſpei adoleſcentes quinq;, quos pia parentum agnatorumq; cura ad futuros Reipublicæ uſus deſtinavit, & bona invitat indoles.

Hi in adoleſcentiâ primâ de ætate virili & ſenili cogitantes, ſuis ſinguli orationibus inſtructi, craſtinâ luce, dante DEO, poſt Octavam matutinam, in publico ſe ſiſtent auditorio, cauſam, veluti in publico judicio, diſceptaturi paupertatis. Adhoc tanquam ſolenne judicium ut frequentes conveniant Gymnaſij Cives, hoc programmate moneo; reliquos humanioris literaturæ cultores & fautores amicè rogo. Dab: 15. Aprilis: Anno 1633.

M. VVendelinus.

ORATIO PRIMA.

Quâ auditorum benevolentia captatur, attentio petitur & ſequentium orationum argumenta exponuntur.

Omnia jam rident, jam formoſiſſimus annus.

VIri Nobilisſimi, Conſultisſimi, Reverendi, Clarisſimi, Præſtantisſimi, Doctisſimi, & tu Muſarum alumna cohors.

Quid nî & noſtra cum hoc vere rideat *adoleſcentia:* hoc eſt; vigoris ſui edat ſpecimen, & bonæ ſpei fundat radium?

Flores oſtentant arbores, *fructus* promittunt, in herbâ *meſsis* eſt, & ſpei bonæ plena ſunt omnia. Quis *Muſas* in adoleſcentibus nobis credat vivere, niſi prima flores *adoleſcentia* protrudat: niſi bonæ indolis indicium faciat; niſi fructus promittat? Inter *hortorum* dum ſpatiamur amœnitates, gratæ nobis tenellæ recenti conatu in cælum minantes plantulæ, quamvis pedamento ſuſtentatæ. Ita nemo,

mo, opinor, vitio nobis vertet, quod alienis levati viribus in altum enitimur, quod maturé noſtras quoq; vires periclitamur, quod audaculo greſſu viam, quæ ad virtutem nos ductura eſt, arduam, prætentamus. Linguis animiſq; favete, ô magni μυσηγέται noſtri, ſodales noſtri! *Memoriæ* & animoſæ *linguæ* ſpecimen modò dabimus: mox, & cum ætate, judicij. *Flores* adoleſcentes jam ſpargimus, mox *fructus* daturi, ubi adultius ætatis noſtræ ver in æſtatis nos confinia deduxerit.

Surgimus quinq; *adoleſcentes* ad vos facturi verba: non de publico privatove *jure:* materies illa *virorum*, non *adoleſcentum*. Non de arduis *ſalutis* noſtræ myſterijs: captum ea noſtrum excedunt: Lacte nutritur *adoleſcentia* noſtra. Non de *naturæ* arcanis; quæ noſtra non capit ætas, à veteranis, non tyrunculis exſpectanda. Rem omnium obviam oculis totiq; orbi familiarem, *paupertatem*, delegimus, cui vocem & verba noſtra commodabimus, diverſas, exercitij gratiâ, adſtructuri ſententias, nullo animorum disſidio. Ut enim varia, de paupertate, hominum ſunt judicia, ita repræſentare vobis ea animus nobis.

Et

Et primùm quidem *dicam paupertati* ſcribet eamque atroci ſtylo confodiet, qué primum in ordine videtis.

Alter contrariam inibit viam, *paupertatemq;* in cœlum laudibus extollet, omnibuſq; affectandam mortalibus oſtendet.

Tertius extremè diſſidentium opinionum conciliationem ſuo tentabit *arbitrio*, & in ſe nec laudabilem nec vituperabilẽ eſſe *paupertatem* contendet. Quicquid laudis, quicquid vituperij in *paupertatem* vulgò confertur, non *paupertati*, ſed virtuti vel vitio, quos comites habere *paupertas* ſolet, deberi evincere nitetur.

Quartus deniq; *arbiter* prodibit, qui, præmiſsâ *paupertatis* diſtinctione, ſua æſtimatam indole *paupertatem* ſiſtet & divitijs præferendam ſtatuet, ita tamen ut veſtro rem totam *arbitrio* permittat. Sic *paupertatis* diſceptata finietur cauſa.

Judicio ſiſtitur *paupertas*, veſtris vel damnanda vel abſolvenda ſuffragijs. Aures, quæſo, faciles accommodate, viri graviſſimi, nil noſtrâ offenſi infantiâ. *Paupertatem* ad pedes veſtros abjectam videbitis, modo lætam, modò ſqualidam: accuſabitur, excuſabitur: & noſtro abſoluta arbitrio tutam ſe non credet prius, quàm veſtræ attentionis experta benevolentiam ſuffragijs quoque veſtris ſe abſolvi intellexerit. Dixi.

Recitata à

Chriſtophoro Schulzio ab Oſchitz: Boh.

ORATIO SECUNDA,
QUA VITUPERATUR Paupertas.

DE miſerandâ hominis ſorte non ſine causâ conqueri omnium ſeculorum ſapientes arbitror : *Viri nobiliſſimi, &c.* Iſta enim ſapientum conſpiratio quid aliud, niſi ipſa veritatis vox? *Quid homo?* quærit *Peripati* Princeps : *Imbecillitatis,* ait, *exemplum, temporis ſpolium, fortunæ ludicrum, mutationis imago, invidiæ & calamitatis trutina: cætera, pituita & bilis. Quid homo?* quærit è *ſtoâ* princeps ordinis : *Imbecillum,* inquit, *corpus, fragile, nudũ, ſuapte naturâ inerme, alienæ opis indigum, ad omnem fortunæ contumeliam projectum.* Cum bruto in contentionem ſi veniat, minimùm abeſt quin ſuccumbat. Solam mihi rationem ſepone, (quæ tamen, niſi multo labore excolatur, vix ultra brutorum ſe ſortem extollit: adeò primorum humani generis ſatorum

Stobæus ſerm: 96.

Conſol: ad Marciam, Cap.

 lapſu

lapſu corrupta eſt!) quid habet, quo brutis ſe anteponat homo? valet? validiores ſunt leones; Formoſus eſt? quid pavone formoſius? velox eſt? velocior eſt cervus. Vocem habet? ſed quantò clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem & mobiliorem luſciniæ? Viſu, auditu, odoratu pollet? vincitur à lynce, ab apro, à vulture & araneo. Ætatem in multos producit annos? Annoſiores cervi, corvi, piſces. Pleraq; omnia bruta ab ortu armat natura: inermen relinquit hominem: pleraq; veſtit: nudum in lucem protrudit hominem; Et quantò pluribus ad vitam tolerandam eget ſubſidijs, tantò paucioribus inſtruit, omniumq; egentisſimum exponit partum: quem vix dum editum multæ morborum excipiunt inſidiæ, quæ imbelle corpuſculum exagitant, & breviculam lucis uſuram faciunt. Ite nunc mortales, & magnis cogitationibus implete pectora.

Mihi verò humani generis nativas repuтanti ærumnas nulla gravior, nulla pernicioſior, quàm *paupertas*, videtur, quam morbis omnibus intolerabiliorem eſſe, facillimo negotio me demonſtraturum confido. Et pri-

mùm

mùm quidem, communem cum morbis natalem habet, infelicem illum diem, quo cælo & paradiſo exturbatum genus humanum è feliciſſimâ rerum omnium copiâ, in infelicem omnium inopiam, nunquam ſatis deplorando lapſu, præcipitatum. Jam rerum omnium egenum animal humi repit, nudum & famelicum, duriſſimis hiſce nexibus nunquam expediendum, niſi benignior fortuna vagabundum exceperit, foverit, amiciverit, ſaturaverit.

Quis morbum æquiore animo non toleraverit, quàm infelix hoc & grave *paupertatis* jugum, quod reliquam ab infeliciſſimo lapſu divinæ imaginis particulam, *erectum ad ſidera vultum*, in terram dejicit. Hinc plerorumq; pauperum in terram vultus defixos videmus, cervices veluti incumbentium mole curarum depreſſas. Neq; mirũ: quia celſioribus & generoſioribus cogitationibus mentem occupari *paupertas* non ſinit, quæ ſperare aliunde, niſi è terrâ, levamen non poteſt. Nihil cum cælo commercij habet, quod ſedatis tranquilliſque gaudet animis, quos nullæ vel victus, vel amictus inquietant & deprimunt curæ. Intellexêre

hoc vates, qui, ut glebæ addictam & à ſublimioribus cogitationibus alienam nobis *paupertatem* hieroglyphicè depingerent, indole non ignobili adoleſcentem finxerunt, cui manuum conatu in altum evolare animus: ſed pedi grave lapidis pondus alligatum â terrâ levari corpus non patitur, &, cæleſtia conſequendi ſpe demtâ, ad terreſtria mentem, oculos, manus & pedes retrahit. O grave & infelix onus *paupertatis*, quæ generoſæ mentis igniculos deprimis, & de ſtatu, quem reliquum lapſus fecit, miſeros mortales deturbas!

Theog. *Improba* pauperies, *humeris cur addita noſtris*
Mentem animi & corpus, non tua regna, gravas?
Turpia nolenti vi multa quid ingeris auctrix,
Quem virtutis iter ſedula cura docet?

Liceat mihi cum ſententioſo poëta exclamare.

Teſtor vos *Auditores*, quid à virtutis & ſapientiæ ſtudio magis hominem retrahit, quàm *paupertas*? Quid verò ſine virtute & eru-

eruditione homo? Nonne animæ mentiſq; ſuæ ſepulturam, caducum circumfert corpus? De virtute mihi facilè aſſentientur, qui operoſa & ſumtuoſa ejus norunt exercitia. Quam ego cauſam eſſe arbitror, quod Græcorum ille Semo, *Ariſtoteles*, qui virtutis apicem, hoc eſt felicitatem, inactione ponit, inter præſidia ejus opes quoq; numeret, adeoq; in eadem ſede *virtutem* & *paupertatem* morari haud poſſe ſibi perſuadeat. Ne longius abeamus, ipsâq; multitudine nos obruamus, *Cardinales* quæſo mecum *virtutes* expendite, &, quàm ad eas *paupertati* aditus non pateat, audite. Τετράγωνον, ſeu quadratum, Ethici virum bonum eſſe ajunt, in virtutis propoſito, omniq; fortunæ ſtatu immobilem & conſtantem, quatuor virtutum immobilibus ſubnixum columnis, *Temperantia*, *Fortitudine*, *Juſtitia & Prudentia*: Quibus ſingulis vel arietes admovet fortuna, vel viam ad pauperes penitus intercludit. Quis enim temperantem dixerit, qui cum rerum omnium conflictatur inopiâ; qui perpetuo habendi æſtu flagrat: cui non animi propoſitum, in cibi potuſq; delicijs, moderationem

ſuadet, ſed dura & ineluctabilis neceſſitas imperat. P*aupertas* illa eſt neceſſitas, quæ egenos torquet & excruciat, quæ felicitatis ſummam in cibi potusq; abundantia collocat, etſi vel cogitatione, vel oculo duntaxat ægro concipit & uſurpat.

Quis fortem dixerit, cui & lingvam & manus *paupertas* ligat devicto & ſpe emergendi dejecto? Schola *fortitudinis* bellum eſt: confluunt ad id, quod non diffiteor, & pauperes; non tamen virtutis, ſed prædarum pleriq; incitati ſtimulis: nî ſevero urgeantur imperio, in acie timidi, ignavi, & in omnes fugæ occaſiones intenti.

Hinc è tot pauperum millibus, ad dignitatum militarium faſtigia, quæ *fortitudinis* ſunt præmia, pauciſſimos evehi videas, non tam fortunæ, ut ignavi quiritantur, invidiâ, quàm ignavæ in bello timiditatis vindictâ.

Quis juſtum dixerit, quem nullius rei, quàm æquitatis & juſtitiæ, minor cura angit: qui ſanctiſſima legum repagula immani auſu perfringit? Certè accuſat hoc nomine *paupertatem* vetuſtas, accuſat noſtris paſſim obvius

ocu-

oculis uſus. *Habet vitium paupertas*, inquit apud Poëtam *Oreſtes: docet enim virum ob egeſtatem mala:* Sophocles in Elect:

Eſt deforme malum ſceleri proclivis egeſtas: Silius Italicus.

Succlamat alius:

In ſcenam ſi liberet & liceret producere mille ſcelerum formas, ad *paupertatem* omnia referre originem, & ex hoc manare fonte ſingula, demonſtrare mihi difficile non foret. Impietatem, deſperationem, Numinis contemtum, proditiones, latrocinia, furta, perjuria, quis neſcit & parturiente & obſtetricante *paupertate* in lucem edi, ſub ejuſdem imperio adoleſcere, & in omne nefas erumpere? Circumferte mecum oculos & cogitationes veſtras per afflictisſimam noſtram patriam, *Germaniam*. Quot ſuperioribus annis viri in ſpeciē & religioſi & docti, deſertis orthodoxorum ſignis, (ſigna intelligo, quæ *religionis* pietas, non *Martis* improbitas erigit) tanquam perfidi transfugæ ad heterodoxorum & idololatrarum caſtra tranſierunt? cauſam quæritis? Exoſaijs erat *paupertas* noſtra, intolerabilis

pro-

propria: cujus adeò erat grave jugum, ut vel ſalutis jacturâ videretur redimendum. Aurea *Babylon* amentium perſtrinxit oculos: alienavit à nobis animos: nimium fatigavit humeros plumbea *paupertas*. Ubi frequentiora deſperatorum, quàm inter pauperes, exempla! *Militem*, inquit ille, *facit deſperatio: deſperatum*, inquam ego, *facit paupertas*. Non ignorant hoc ſeculi noſtri artes. *Orci, mortis Martisq;* victimas non aliâ ratione parant faciliùs, quàm conciliata per egeſtatem deſperatione. Omnium enim egeni rerum, & cum luridâ fame jam luctantes ad miſeri *Martis* confugiunt aſyla, rapinarum & latrociniorum allecti impunitate. In *morte* ſolatium alij quæſierunt, qui ex rerum omnium inopia deſperabundi ſibi ipſis manus adferunt, & vel laqueis gulas frangunt, vel in aquas præcipitati infelices animas exhalant.

Martial: lib. 11. epig. 88.

O quantum cogis, egeſtas!

Non tamen hæc ſunt omnia. Horret animus meminiſſe omnia, & in iis horrendam illam infelicis creaturæ à creatore ad Satanam

tanam defectionem. Evolvite temporum noſtrorum annales: tribunalium & judiciorum publicorum luſtrate acta, confesſiones, teſtimonia. Vix ullos, niſi pauperes, in Satanæ attractos retia, & ad infelicisſimam apoſtaſiam ſolicitatos & impulſos deprehendetis. Videor mihi perditas maleſuadæ *paupertatis* audire voces. *Luſus eſt religio: ſomnium vita, quæ in cælis beatè agenda promittitur: nugæ, quæ de flammis infernalibus garrit vulgus. Spectant huc omnia, ut veſtras, in terris hiſce dum vivitis, miſerias augeant; ut ſiti, fame, frigore vos excrucient; ut à melioris & verioris vitæ ſpe excludant. O miſeri mortales! à veræ felicitatis tramite aberratis. Quæ ad Ditis regna vos ducit via, regia eſt, divite rerum copiâ undiquaq; ſepta. Non ingreditur eam ſitis, non fames, non nuditas: quas infelicitatis meæ infelicisſimas eſſe comites videtis. Videte me famelicam: videte nudam: videte cadaveroſam: videte contemtam & exòſam.*

Hæ *Sirenes* illæ ſunt, quæ ad exitij ſcopulos infelices animas attrahunt: quæ à cælo abducunt: quæ à Deo alienant. Jam quid patriæ, quid civitatum, quid regnorum *proditiones* memorem? Proditores qui quærunt, non divites, ſed pauperes ſollicitant, qui ad rem omnium turpiſſimam & flagitioſiſſimã ſe pretio emi patiuntur: cujus & egeni & cupidi, è *paupertatis* odio, humanitatem exuunt, ipſisq; beluis immaniores in ſua propria viſcera ſæviunt? quos omnium mortalium peſſimos & perditiſſimos veterum *Græcorum* ſapientia pronunciavit. Et dubitatis hunc *paupertatis* monſtroſum eſſe partum?

Virgil: 3. æne: *Quid non mortalia pectora cogis,*
Aut Sacra fames!
Horat: carm: lib: 3. od: 24. *Pauperies jubet*
Quidvis & facere & pati.

Habet enim hoc infelix *paupertas*, ut non *ſenſus* tantum perſtringat, ſed & *rationis* invadat arcem, & inſcriptum in eâ turpium & honeſtorum diſcrimen deleat, auroque patriam, parentes, & quicquid charum

rum eſſe homini ſolet, poſtponat. Quid ex inſidijs ad cædes elicit latronem? *paupertas*. Quid per tenebras in alienam domum furi viam præit, & nefarias alieno manus admovere jubet? *paupertas*. Quid ad perjuria falſos invitat teſtes & opprimendæ innocentiæ conſilia ſuggerit? *paupertas*. Quid turpitudinem vulgandi corpora ſequiori ſexui ſuadet & perſuadet? *paupertas*: quam & *meretricem* vetus appellat verbum, quæ omnia honeſtatis & pudoris effringit repagula: ut filiam *paupertatis* impudentiam meritò dixeris, & *Comico* ſubſcripſeris.

Vendidi omne, quod fuit, impudens fio. Plautus.

Oſtendi hactenus, Auditores, virtuti cum *paupertate* commercium eſſe nullum, cum vitijs & flagitijs quibuſvis familiaritatem & cognationem intimam. Cum ſapientiâ & eruditione ſi quis putet ei convenire melius, me quidem judice, à vero longisſimè aberrabit. Etſi enim olim cùm minùs ſumtuoſa & laborioſa eſſent literarum ſtudia, hominumq; ſimplicitas major, non adeò ſapientiam remorata *paupertas* eſt: noſtri tamen ævi mores longè

ſunt alij: Studiorum ratio longè alia, & ita plerumq; comparara, ut ad ſapientiæ arcana rarisſimè intromittantur pauperes: niſi fortè aliorum ſublevati opibus, & ſic aliorum liberalitate divites. Experientiam teſtor. Si ſcholas luſtremus, quot vel à liminibus earum egregia arcentur ingenia, quorum parentibus anguſta domi res! Quid iſtis, apud rude & egenum vulgus, excuſationibus tritiùs? *Athenas adire pauperibus datum non eſt: divitum ea felicitas propria eſt: Sumtuoſa ſtudiornm ſupellex, ſumtuoſa itinera, magna didactra, longa mora. Quis à pauperibus requirat iſta?* Nemo inficiabitur rem ita habere. Studiorum difficultates & ſumtus auget nobis lingvarum varietas, ſub uno vix addiſcenda cælo: non niſi magno paranda impendio: Auget artium & diſciplinarum varietas, quæ cyclum illum, coronam illam omnigenæ eruditionis abſoluit: auget librorum multitudo & precium: auget ſeculi in veſtitus inſolenti inconſtantiâ vanitas, quam qui ſingulis penè menſibus novam æmulari & imitari, per *paupertatem*, nequeunt, veluti noctuæ inter alias ſunt aves: auget deniq; liberalioris & ad ſedentariam literatorum

rum

rum vitam accommodati victꝰ ratio, quam vel effæta hæc mundi ſenectus, vel inſatiabilis hominum avaritia intolerabilem *paupertati* reddit. Taceo, quod *paupertatis genius* planè contrarius *ſapientiæ* videatur. Ad alta enim mentem vocat *ſapientia:* humi affligit *paupertas.* Tranquillam, ſerenam & curarum levatam mole mentem requirit *ſapientia:* quam curarum veluti fluctibus undabundam *paupertas* turbat. Liberi oris *ſapientia:* lingvam *paupertas* ligat. Animoſa *ſapientia:* timida & abjecta *paupertas.* Supra invidiæ nubes collocata *ſapientia:* invidiæ cæno immerſa *paupertas:* quicquid enim ſibi deeſſe ſentit, alijs invidet. A flagitijs abhorret *ſapientia:* in omne flagitium effunditur *paupertas.* Et quis omnia mutuæ hoſtilitatis momenta perſequatur? Igni aquam, tenebras luci facilius conciliaveris, quàm *ſapientiæ paupertatem.*

Ut autem à *virtutum & Muſarum* atrio aret *paupertas:* ſic ab honoris quoq;

excludit templo: ad quod aditum nulli niſi virtutum Muſarumq́ue cultori juſtitia patefacit. Hinc paupere nihil contemtius, nihil abjectius.

Juvenal: Sat 11.

Quid enim majore cachinno
Excipitur vulgo quàm pauper Apicius?

Ovid: 1. Faſt.

In pretio pretium nunc eſt: dat cenſus honores:
Cenſus amicitias: pàuper ubiq́; jacet.

Ærario quis pauperem præfecerit? Juris dicendi poteſtatem quis pauperi fecerit? Meretrix paupertas: δωροφάγος paupertas. Luſtrate magnatum aulas: luſtrate curias. Qui latera principibus claudunt, & in pretio ſunt, anne pannoſi, ſqualidi & famelici ſunt? Ita omnino eſt, *Auditores:* quisquis ad honores adſpirat, quiſquis ad aliquod honoris faſtigium evectus eminet, aut dives ſit oportet, aut diviti ſimilis:

Sed evidentiori argumento intolerabile & triſte *paupertatis* jugum nemo repræſentare-

verit, quàm quod promiſcua omnium ferè hominum ſtudia ſuppeditant. Quis enim eſt, qui, jugi hujus excutiendi causâ, extrema quævis non tentet? Reges principeſq; attendite. Curde regnorum & principatuum ſuorum finibus proferendis & reditibus amplificandis tantoperè illi laborarent, ſi tolerabilem eſſe *paupertatem* crederent? *Sapientiâ* vix quicquam in humanis præſtantius & pretioſius: nihil quod ad fortunæ bona ſe minus demittere, nihil quod altius ſupra caduca & mortalia evolare, nihil quod magis per ſe expeti, & ſeipſo acquieſcere ſapientes prædicant. Sed quotusquiſque mortalium ſine ſpe præmij *ſapientiæ* litat? Quotuſquisq; per literarum ſive divinarum, ſive ſecularium ſtudia è *paupertatis* & ex eâ nati contemtus ſordibus, per eam eluctari anxiè non laborat? quotusquiſq; ſapientum corporis munditiem & liberalioris victus delicias non laudat, oblati auri fulgore non afficitur, & inpretio eſſe ſuam ſapientiam non optat? Nihil mechanicos, nihil agricolas in diurno & nocturno labore detinet, niſi

votum evitandæ *paupertatis*, & ſpes acquirendarum opum.

Horat: Carm. lib: 3. Ode 3.

Illi robur et æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec triſtes hyadas, *nec rabiem* Noti.
Quem mortis timuit gradum,
Qui ſiccis oculis monſtra natantia,
Qui vidit mare turgidum &
Infames ſcopulos, Acroceraunia?

Quis verò primus ille, mi Flacce, niſi pauper, quē cum immani *Oceano* monſtroſiſq; ejus beluis commiſit & colliſit odium *paupertatis*: quod etiamnum ad terræ mariſque abyſſos præcipites adigit mercatores. Cum monſtris congredimur, cum cælo luctamur, cum fluctibus collidimur, ut unam

unam evitemus *paupertatem* : quæ furiæ inſtar mentes exagitat , & crudeli ſuo imperio præſentisſimæ morti miſeros homunciones dilaniandos & ſuffocandos objicit.

O quantum cogis, egeſtas!

Gradum hic ſiſto, pedem figo, Auditores. Cum *hydrâ* πολυκεφάλῳ rem mihi eſſe video : cujus dum oratione capita demeto, nova è veſtigio renaſci video : quibus dubio procul vos videndis & audiendis , ego demetendis fatigatus *paupertatis* incommoda pluribus perſequi nil opus eſſe arbitror.

Eviciſſe me puto , inter humani generis ærumnas , *paupertate* nullam graviorem , nullam pernicioſiorem eſſe. Nullum *paupertati* cum virtute , nullum cum ſapientiâ , nullum cum honoribus commercium. Præcipites agit monſtrum hoc ad flagitiorum barathrum, præcipites ad terræ mariſque abyſſos,

præcipites ad inferos. Verbo dicam: Capitaliorem vita, virtus, ſapientia, honos hoſtem non habet.

DIXI.

Recitata

à

Ludovico à VVüthenau.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ORA-

ORATIO TERTIA,
QUA LAUDATUR *paupertas*.

DOlendum adeò ſui negligentem eſſe hominem, *Viri Nobil: &c.* ut Nobiliſſimæ ſuæ immemor originis & prærogativæ, cùm *rationis* & conſilij plenum ſit animal, ad abjectam brutorum ſortem ſe demittat, & cæleſtes illos divinioris animæ igniculos, *ſenſuum* quaſi fuligine & cinere, obſcuret & obruat. Quota quæſo hominum pars vera *animi* bona, quæ *mentem* & *voluntatem* hominis proximè attingunt, & ab hiſce ſolis rectè æſtimari arbitris poſſunt, fortunæ corporiſque præfert bonis! *Animi* bona intelligo, virtutes, artes liberales & ſcientias, pretioſiſſima illa naturæ humanæ ornamenta. Quis verò pretium ijs modò ſtatuit vel in aulis, vel in Rebuspublicis? Quos admiratores habet vel *Socratis* innocentia, vel *Sciponis* caſtitas, vel *Ariſtidis*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

juſtitia, vel *Platonis* divinitas, vel *Ariſtotelis* ſubtilitas, vel *Ciceronis* facundia? *Mavortias* ſtrages qui crepant, *Ibericas Rodomontadas* qui jactant, & vel peregrini barbariq; oris volubilitatem oſtentant: vel *Almodicas* (ignoſcant mihi latinæ aures, barbaræ rei vocem apto barbaram) veſtium ineptias laudant, vel corruptos & inciviles malè ſanæ gentis mores commendant, &, cum ſpectantium faſtidio, repræſentant: vel denique, quicquid patrij moris & ſimplicitatis eſt, ejurant: Hi, ſcilicet, magni ſunt: hi ſoli ſapiunt: hi magnatum latera claudunt: Quia oculos & aures ſpectantium & audientium *exoticâ* vanitate implent. Neque verò in hoc tantum genere delirant homines, & ſenſibus rationem poſtponunt: Latiùs hoc ſerpit malum & graſſatur periculoſiùs. Magnam humani generis partem ad inferos præcipitem agit hic error, dicam, an furor? Lucta *rationi* cum *ſenſibus* perpetua eſt, & triſtis *ſenſuum* in pleriſq; victoria. Perpauci enim ſunt, quos ab æternæ ſalutis tramite devios non abripiant *ſenſuum* illecebræ. Pauci, qui *Chriſtianiſmum* profeſsi rigidiorē & laborio-

ſio.

ſiorem *ſenſibus* ſuis bellum indicant, & cum Dei populo adverſa quævis, exemplo *Moſis*, pati, quam in *Pharaonis* aulâ *ſenſibus* corporique indulgere malint. Pauci, qui terrenas voluptates & *ſenſuum* irritamenta aſpernentur, ut cæleſtibus epulis, quas æſtimare ſola mens novit, perfruantur. Non eſt inſtituti mei, *Auditores*, prolixius hæc perſequi? Tam enim latè patet hic hominum circa *ſenſûs* delirantium error, ut nullo, quantumvis magno, volumine, nedum exordio oratiunculæ, comprehendi poſſit. Inſigne hujus erroris ſpecimen occurrit circa *paupertatis* æſtimationem. Illius enim aſpectu territi *mortalium* pleriq; uno ore laudant divitias.

Quid enim? offendit mortales oculos ſqualida *paupertatis* facies, mores ſimplices, diffluentes veſtium laciniæ, victus tenuis, caſæ humiles, vulgi contemtus. Allicit ad ſe lætior *Plutonis* genius, vultuſq; peregrini mores, auro fulgens purpura, regales menſæ, in cælum aſſurgentes ædificiorum moles, vulgique veneratio & admiratio effuſa. Vah miſeram *ſenſuum* hallucinationem! Vah hominum deliria!

liria! Siccine verò hominem ultra bruta non aſſurgere, totamque ſenſibus immerſam rationem in conſilium non adhibere, præcipientem non audire, præeuntem non ſequi! *Plutonis* modò viſcera rimarentur interiora, & perſpicatioribus mentis oculis *paupertatem* aſpicerent: (ita me amet *veritas*) in *paupertatem* longè æquiores, à *Plutone* longè alieniores futuri eſſent. Hoc dum ego facio, & laudibus *paupertatis* vocem meam commodo, non *ſenſu*, ſed *ratione* uſus duce; rogo vos, *Auditores* optimi, ut æquis mentibus verba mea admittatis, &, pro *paupertate* orantem *rationem* benignè audiatis.

Digna profectò materia, in quâ animus liberalis ſe exerceat & occupet. Quæ ergò *paupertas* illa, quam tantoperè formidatis, & non auditam damnatis, miſeri *mortales*? Eſt aliquorum *fortunæ* bonorum abſentia: tam enim nemo pauper, cui omnia deſint *fortunæ* bona. Nihil heîc video, quod cordato formidandum ſit viro. *Fortunæ* bona cùm audio, *fortunæ* ludibria intelligo, quibus obnoxij

maxi-

maximè divites , & hoc nomine pauperibus longè infeliciores. Conſtantiam enim à *fortunâ* nemo expectat, nemo fidem ; quiſquis eam omnis inconſtantiæ & levitatis matrem eſſe intellexerit. *Hæc noſtra vis eſt*, inquit ipſa apud autorem non ignobilem, *hunc continuum ludum ludimus : rotam orbe volubili verſamus ; infima ſummis, ſumma infimis mutare gaudemus. Aſcende, ſi placet, ſed eâ lege, ne uti, cùm ludicri mei ratio poſcet, deſcendere injuriam putes.* Impotentis hujus dominæ jugum *paupertas* dum excutit, verè libera, verè domina evadit, & in libertatẽ aſſerit, quemcunq; ſibi dominum & poſſeſſorem deligit. Si quis tamen abſque omnibus *fortunæ* bonis felicitatem non poſſe conſiſtere ſibi perſuadeat, (etſi capitales ferè inter *fortunæ* bona & *paupertatem* inimicitiæ videntur eſſe) noverit, nunquam ita penitùs à *fortunâ paupertatem* deſeri, quin aliqua ejus poſſideat bona. Nam, ut ille ait, *ad vitam tolerandam ſufficientium rerum nemo eſt pauper : neq; unquam fœnore argentum ſumſit quiſquam,*

Boëth. lib. 2, de Conſol. Philoſoph proſ. 2.

Plutarch. de cupid. divitiarum.

ut

ut emeret caſeum, panem, olivas. *Divitias* à ſcripturis commendari vix uſpiam legeris. Magna heîc *paupertatis* prærogativa: adeò, ut inter divinæ benevolentiæ & ſingularis amoris indicia ab *Apoſtolo* numeretur *paupertas*, & ſors pauperum contemta. *Non enim multos*
1. Cor 1. v. 26. & ſeqq. *ſapientes ſecundùm carnem, non multos potentes, non multos nobiles: verùm quæ ſtulta ſunt in mundo, elegit Deus, ut pudefaciat ſapientes: & quæ infirma, è mundo elegit Deus, ut pudefaciat robuſta: & quæ ignobilia ſunt in mundo, & pro nihilo habita, elegit Deus; & ea, quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt aboleat.* Verba *Pauli* agnoſcitis. Neque immeritò hanc ſibi prærogativam vendicat *paupertas*, in quâ longè ardentiora ſunt invocationis, ſpei, fideique, quàm in abundantiâ rerum omnium, ſtudia; longè minora & pauciora ſinceræ pietatis impedimenta: quæ tanta cum divitijs ſunt conjnncta, ut, de *Chriſti* ſententiâ, penè inſuperabilia ſint. Audite, quæſo, formidabilem divitibus vocem, ab ipſo veritatis ore miſſam: *facilius eſt camelum per fora-*
Matth. 19. v. 24.
men

men acus tranſire, quàm divitem in regnum Dei introire. Quis impedimenta, quis remoras haſce non totis amoliatur viribus! Neque in abdito periculi latet ratio. Nunquam enim ſolus incedit *Pluto*, ſed ubique plerorumque omnium *vitiorum* ſtipatus ſatellitio. Vos, miſſis aliis, in ſolam avaritiam cogitationes mittite; liberalitati aut prodigalitati, eam faciliùs, quàm cælorum regno conciliaveritis. Eſt hæc, ut Spiritui ſancto viſum, *omnis mali radix:* ut *Senecæ: nocentiſſima humani generis peſtis;* quæ in *idolum* transmutat aurum & argentum; de quo accumulando ita laborat anxiè, ut omnes occupet *ſenſus:* Unum hoc miratur; unum laudat; unum cogitat; ad cæleſtia planè ſurda, cæca, ſtupida. Ab hac peſte immunis eſt *paupertas:* quæ in ſolis divitum ſtabulatur animis; hos ſolos ſibi nexu addictos mancipat, torquet, excruciat? Secura eam *paupertas* ridet, quam *avaritia*, crudelis illa divitum domina, ſerviliter formidat. Neque verò ſecuritatem & tranquillitatem animi uſpiá, niſi in *paupertatis* contubernio, inveneris: quo nomine rem lætam, ex *Epicuri* ſcho-

1. Tim. 6 v. 10.
Ad Helviat., cap. 13.
Epiſt. 2.

lâ, *ſtoicus paupertatem* nominat. Nemo veſtrûm, opinor, erit, qui laborioſæ probationis mihi onus ſit impoſiturus. Cogitate modò *divitias*, quàm anxia, quàm triſtis, quàm timida res eæ ſint. Quot furum inſidijs: quot avarorum fraudibus: quot latronum & prædonum petuntur cædibus! Quis verò unquam audivit ſtructas *paupertati* inſidias? quis fraudibus petitam; quis cædibus quæſitam? Pauper

Lucanus lib. 5.

Securus belli: prædam civilibus armis
Scit non eſſe caſas. O vitæ tuta facultas,
Pauperis anguſtiq́ lares! ô munera nondum
Intellecta Deum! quibus hoc contingere templis,
Aut potuit muris, nullo trepidare tumultu,
Cæſareâ *pulſante manu!*

Trepidat orbis, & Cæſaream manum ſolus pauper non novit.

Quanta ſuperioribus apud nos annis divitum trepidatio! quàm crebra *Plutonis* vel con-

vaſa

vaſatio vel inhumatio! Currus, equos, homines ſub ponderibus gementes, & fugiendi ardore fatigatos vidimus. Securi miſerius iſtas riſêre *pauperes.*

Cnm claſſicum cecinit, ſciverunt non ſe peti? cum aliquò conclamatum fuit, quomodo exirent, non quid efferrent, laborârunt. Pleriq; tamen non curribus, non jumentis, non effusâ fugâ, ſuam ſuorumq; ſalutem quæſiverunt; quibus minimũ in corpore ſpoliorum fuit. *Nemo enim ad humanum ſanguinem venit, propter ipſum:* inquit ſiren illa ſtoica: *vel admodum pauci;* nudum latro tranſmittit: etiam in obſeſsâ viâ pauperi pax eſt. Irrequietum & turbidum mare divitis eſt animus, triſtis pleumque vultus, in ſomnes noctes, inquieti dies. Habent enim hoc in ſe mali *divitiæ,* in pleriſque ut nullam corpori neceſſariam reſpirationem, nullam animo liberalem vacationem indulgeant. Omnes improbâ ſollicitudine ſenſus exercent, & perpetuo amisſionis metu excruciant. Procul, procul ab hiſce tormentis abeſt *paupertas.* Non illam inquietant nocturnæ curæ: non fatigant diurnæ: mens læta ei convivium peren-

ne ; quod cum *Aſiatico* aut *Sybaritico* luxu nunquam permutaverit. Sed ad alia mihi feſtinandum. Vix credo de humano genere quicquam præclarius meritum, quàm *paupertatem*. Mihi ſi fidem non habetis, audite *ſtoicum* ſapientem: qui *Romani imperij fundamentum & cauſam* appellat *paupertatem*. Audite *Platonicum*; qui civitatum conditarum artiumq; inventarum gloriam uni vendicat *paupertati*. *Quemcunque* exclamat, in *aliquâ laude miramur, eum paupertas ab incunabulis nutricata eſt*; Mirabitur, opinor, hominum vulgus tam præclara ſapientum de *paupertate* judicia: veriſſima tamen illa & ab ipsâ dictata ſapientibus experientiâ. Qui enim primi mortalium urbibus & imperijs condendis manus admoverunt, deſerta olim loca, omnium rerum egentes, & ne adverſus beſtias quidem ſatis muniti, incolebant, quos vel natalibus excuſſos ſedibus *paupertas*, vel ſupra modum in natali ſolo auxit & pauperes fecit fœcunditas. Hæc incunábula olim *Spartæ* & *Athenarum*, hæc *Romæ* & *Venetiarum*, quas *Trojanorum* exulum in *Adriatico* ſinu

Epiſt. 87.

Apule. in Apologi.

fun-

fundavit paupertas. Quid vaſto illi *Ottomannico* imperio initia dedit, niſi barbarorum multorũ è ſylvis concurrentium & conſpirantium *paupertas?* Ad artes me jam converto. Non natæ eæ ſunt in divitum culinis, Regumque palatijs: pleraſque exilium & egeſtas peperit, vel ſub dio, vel in humilibus caſulis; quæ etiamnum originis ſuæ amantes, vix alibi, quã apud pauperes divertunt: quia â pauperibus ferè ſolis amantur. *Amat*, inquit ille, *ſtudia, ut ſolent pauperes.* *Nec enim ingenij amor ullum unquam divitem fecit*, acclamat *Satyricus.* Si ire per Philoſophorum veterum familias mihi liberet, facili negotio arctiſſimum illud *paupertatis* cum eruditione & artibus vinculum vobis ob oculos ponerem. Sed nimis longum hoc foret; neque forſan adeò neceſſarium apud eos, quibus probè cognita Philoſophiæ ab ipſis incunabulis *paupertas*, & cum *paupertate* conſortium. Ad noſtri ſeculi me mores & homines converto; Quæſo, quàm rara in magnatum, in nobilium aliorumq; divitum familijs *avis* eſt eruditio, artiumque & diſciplinarum liberalium amor? Niſi quos for-

Plinius lib. 7. Epiſt. 22. Petronius Arbiter.

ſan à patrimonio excludit regnorum quorundam conſuetudo, & ſatis iniqua ſanctio, quæ ex aſſe hæreditatem primogenitis decernit, & infra ſortem minores deprimit. Malo tamen multorum, non magno. Quos enim *Anglia* vel *Gallia* literis armiſque claros è nobilium familijs hucuſque habuit, è *cadentium*, ut appellant, plerique fuere numero: Qui fratrum iniquitate parciùs habiti, & familiariùs paupertate uſi, nec laborib⁹ nec periculis pepercere ullis, ut vel *Marte* vel *Arte* inclareſcerent, orbique innoteſcerent. Tantò primogenitis facti ſuperiores, quantò ijs olim videbantur abjectiores, quantò plus admirationis, & publici applauſus merentur, qui familias virtutibus ſuis ipſi nobilitant, quàm qui ſolis earum virtutibus nobilitantur. Sed obloquentes jam pridem audio *paupertatis* hoſtes: Inviti cum *paupertate* commercium iſti inierunt, & ſuo eam contubernio exceperunt: Neque *paupertatis*, ſed divitiarum amore in laborum & periculorum arenam deſcenderunt, ut è *paupertate* eluctarentur, &, vel *Marte* vel *Arte* duce, ad opum honorumque faſtigia eniterentur: Qui-

bus

bus ſi maximè, quod volunt, darem, nihil tamen *paupertati* detraherem. Namque vel inviti mihi dabunt: additos generoſis mentibus a *paupertate* ſtimulos virtutis honoriſque: quos raros plerique ſentiunt. quos à primis incunabulis lautior fortuna acceptos in luxu omniumq́ue deliciarum affluentiâ educavit, & per adoleſcentiæ, juventutis viriliſq́ue ætatis gradus, ijſdem blandimentis, ad ſenectam transmiſit. Sed quod iſti volunt, totum non do. Qui enim virtutis & eruditionis pretium olim rectè æſtimârunt, & quàm impedita, per divitias earumq; curam, ad virtutem via eſſet, probè intellexerunt, non inviti *paupertatis* jugum ſubierunt; ſed, abjectis opibus; ultrò eam, veluti magiſtram virtutum & artium, accerſiverunt. Nam *ſi animo vis vacare* de ſententiâ *ſtoici* Philoſophi, ***aut pauper ſis oportet, aut pauperi ſimilis.*** Imi ſubſellij viros ad teſtimonium heîc non citabo. *Democriti* pater Damaſippus epulum dare *Xerxis* exercitui poterat: & tamen, patre mortuo, *Democritus* ad ultroneam ſe *paupertatem* demiſit, patrias fratribus opes reliquit, &, non niſi viatico ſibi deſtinato, Epiſt. 17.

ſcientiæ

ſcientiæ naturalis amore, ad *Ægyptios*, *Chaldæos* & *Indos* profectus eſt, abjectis gravioribus iſtis ſarcinis & mentis bonæ impedimentis. *Anacharſis*, relicto fratri ſuo *ſcythiæ* regno, in *Græciam* ſcientiæ causâ migravit: abjecto regni ſceptro & diademate, Philoſophi quæſivit inter pauperes pallium, ſibique *paupertatem* fecit familiarem, ut per hujus atrium ad virtutis, & ſapientiæ intromitteretur theatrũ. Ita intelligitis, opinor, regnorum conditricem & artium genitricem eſſe *paupertatem*. Sed majores regnis & artibus virtutes ſunt: cum quibus amica conſpiratio *paupertati*. Quem pauperem unquam ſuperbia inflavit? Quem animi impotentia depravavit? Quem tyrannis efferavit? Quem luxus fregit? Quem avaritia excruciavit? Quem libido enecavit? En vobis *paupertatem* in *Ariſtide* juſtam in *Phocione* benignam, in *Epaminondâ* ſtrenuam, ſapientem in *Anaxagorâ*, religioſam in *ſocrate*. Hæc *paupertatis* virtutumq; conſortium ſapientibus olim adeò non fuit ignotum, ut non, an potius bonorum, quâm malorum gauderet conſuetudine *paupertas*, dubitârint: Sed, cur

ad

ad probos potius, quam improbos diverteret, diſputarint. Ubi viſa Philoſophorum Principi bonorum, quàm pravorum, ideò amantior eſſe *paupertas*: Quia ab hominum iniquitate pulſa ad probos perfugit, quorum præſidio ſe tutam fore, & furtorum ac latrociniorum labe minimè contaminatum iri ſperat. Hanc quamdiu hoſpitam fovit Reſpublica *Romana*, ab hoſtium inſidijs, animorumq; labe tuta fuit. Poſtquam verò ſub divitiarum onere ſuſpirare cæpit, nullum crimen, facinus libidinis nullum, ut cum *Satyrico* loquar, abfuit. Felix *Roma*, orbiq; formidabilis *Roma*, quamdiu *Mavortiæ* ejus animæ ſororem habuerunt paupertatem ſobriam;

Probl. ſect. 29, Probl. 4

Juvenal. ſaty. 6.

Pauper erat Curius, *Reges cùm vinceret armis;*
Pauper Fabricius, Pyrrhi *cùm ſperneret aurum:*
Sordida Serranus *flexit dictator aratra:*
Luſtratæ lictore caſæ, faſcesq; ſalignis
Poſtibus affixi: collectæ Conſule meſſes
Et ſulcata diu trabeato rura colono.

Claudi. de. 4. Conſul Honorij.

Sed

Sed vela orationis contraho. Satis mihi videor laudibus *paupertatis* velificatus. Ita cauſam ejus egiſſe me confido, ut nemini eam, niſi fortè divitibus & avaris, inviſam fore credam. Vos bonæ mentis, Vos *Muſarum* amatores & cultores, ut mille divitiarum pericula evitetis, ad *paupertatis* aſylum confugite: Ut animi tranquillitate & ſecuritate perfruamini, in medio armorum ſtrepitu, *paupertati* vos adiungite: ut ad ſublimia enitamini, ab humili *paupertate* impetrate: ut ad auguſtum virtutis honoriſque templum deducamini, *paupertatem* ducem ſequimini. Verbo dicam: vix alia ad felicitatem via, niſi *paupertas*.

D I X I.

Recitata

à

Melchiore Tobiâ Hübnero.

ORATIO QUARTA,

QUA PAUPERTATIS LAUS ET vituperium caſtigatur.

P*Aupertatis* res modò acta eſt, *Viri nobiliſsimi, &c.* non ſine fraternorum animorum ſaltem apparente disſidio: quos tantâ ſententiârum diverſitate non nihil diſtractos crederem, niſi firmioribus nixam præſidijs concordiam imbelles verborum arietes, non oratoribus, ſed oratorio themati admotos, haud extimeſcere perſuaſum haberem. Quos enim à primâ infantiâ, veluti gemellos fratres, eædem propemodum cunæ excepere, quos idem convictus, idem contubernium, idem commilitium in hanc uſque ætatem, à teneris provexit unguiculis, & ſtudiorum in hanc arenam paritas provocavit, quis credat adverſis ita concurſare ſententijs, ut animos è conflictu ſaucios & hoſtiles referant? Igitur de

animis conciliandis non laborabo; de ſolo ſententiarum divortio meam interpoſiturus ſententiam. Hoc dum facio, benevolentiam & attentionem mihi veſtram exopto: quam tantò mihi faciliorem promitto, quanto ab omni oſtentatione vel præſumtione animum alieniorem in hunc locum, in hanc cauſam adfero. Non enim huc me impulit vel ingenii fiducia, quam nullam habeo: vel juvenilis temeritas, cujus mihi conſcius non ſum: ſed eorum, qui imperare mihi poſſunt, autoritas, & obſequij *Mecænatibus* meis probandi votum.

Ex eodem hoc loco accuſari & damnari *paupertatem* audiſtis, defendi eandem, abſolvi & laudari audiiſtis. Quicquid ubivis auditur ſcelerum & flagitiorum, in *paupertatem* congeſtum: quicquid, ab orbe condito, laude & admiratione dignum extitit, ad eandem relatum. Vereor ut

Sit noſtrum inter vos tantas componere lites:

Etſi aliqua ætatis prærogativa hanc mihi perſonam imponit. Magnâ probabilitatis ſpecie utrinq; declamitatum. Utriusq; mihi partis argumenta judicii trutinâ ponderanti, vel media

dia arbitri ſententia, vel alterutrius extremæ probatio plena difficultatis videtur.

Et lauro tu dignus & hic

videri poſsit. Tentabo tamen, tentabo, ſecundâ benevolentiæ veſtræ fretus aurâ, inter *Scyllam* & *Charybdim* tranſitum: ut neutro abſorbear vortice, faxit is, cui maria, cui venti parent. Et primum quidem in iis eſſe rebus *paupertatem* & *divitias*, quas medias & ἀδιαφόρους Philoſophi appellant, ſuapte naturâ, nec laudabiles nec vituperabiles, veſtrûm, opinor, qui inficietur, erit nemo. Hiſtorias conſulite, veritatis magiſtras: experientiam audite, locupletem teſtem; A ſapientibus nemo laudatur, quia *pauper*: nemo vituperatur, quia *dives*: nemo laudatur, quia *dives*: nemo vituperatur, quia *pauper*. Virtutem niſi junxerit ſibi *paupertas*, niſi *divitiæ*: nec illa, nec iſtæ bonorum merebuntur plauſum. Soia virtus eſt, quæ & *paupertatem* & *divitias* ornat: quæ uſum utriſq; præſcribit: ab uſu utraſque commendat. *Romanis* ab *Auguſto* Imperatoribus plurimis, *Neronib. Caligulâ, Vitellio, Domitiano, Commodo,*

modo, *Maximino*, *Gallieno*, *Diocletiano*, quis ditior? quis iisdem flagitioſior? Neq; tamen cum *divitiis* adeo malè virtuti convenit, ut divitum conſortia penitus vitet. Primi parentes noſtri, ante lapſum, in innocentiâ ſuâ ditiſsimi, iidemq; feliciſsimi fuêre. Sanctos veteris teſtamenti *patriarchas*, pro ſeculorum illorum frugalitate & ſimplicitate, *divites* quis vituperet? Quis probro iis fuiſſe *divitias* dixerit? Ut pios Populi Dei reges, & laudatiſsimos eosdemq; locupletiſsimos Imperatores, reges, principes taceam. *Paupertatem* expectatis ut probis pariter & improbis familiarem eſſe oſtendam? Si dubitare vos crederem, primùm cogitationes veſtras ad humani generis Redemtorem, Dominum noſtrum, revocarem. Quis illo ſanctior? Quis innocentior? Nemo tamen eodem pauperior. Vicinam partui matrem ex hoſpitio, ab hominum conſortio, in ſtabulum ad jumenta expulit *paupertas*: recens natum puerulum in boum præſepe compegit *paupertas*: Virum jam undiquaq; dura exercuit *paupertas*.

Lucæ 9. v. 58. *Habent*, inquit ipſe, *Vulpes luſtra*, &

volu-

volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput inclinet. O ſanctam, ô innocentem in hoc poſſeſſore *paupertatem!* Eat jam,

> *Qui miratur opes, qui nulla Exempla beati* Juvenal. Sat. 14.
> *Pauperis eſſe putat.*

Neq; ignorant, niſi quibus ignota ſunt veterum monumenta, priſcis heroibus, quibus virtute inclareſcere & immortalitati memoriam conſecrare animus erat, adfectatam eſſe *paupertatem*, & hoc nomine proximis ſeculis rem ſacram eſſe prædicatam. *Philoſophos* taceo, eximios illos humani generis ductores & doctores: qui penè glorioſam ſibi duxere paupertatis profeſsionem, quæ jam olim in ſapientum aſcita familias videbatur. Quam in ſententiam *Platonicus* Philoſophus: *paupertas olim philoſophiæ vernacula eſt, frugi, ſobria, parvo potens, æmula laudis, adverſum divitias poſſeſſa, habitu ſecura, cultu ſimplex, conſilio bene ſuada, in Ariſtide juſta, in Phocione benigna, in Epaminonda ſtrenua, in Socrate ſapiens & in Homero diſerta.* Neque tamen ita Apulei. in Apolog.

ita à virtutis contubernio paupertatem commendaverim, ut ullo flagitiis & ſceleribus nexu eandem jungi negaverim: Sic enim commilitonis mei me oratio facilè convinceret & arbitri me tribunali levi brachio ſubmoveret.

Quis enim neſcit flagitioſiſsimis quibusque latronibus, furibus, piratis, veneficis, proditoribus, ſcortatoribus familiariſsimam eſſe paupertatem? Unde *Silii* illud, non tamen ſine judicii errore prolatum:

Eſt deforme malum ſceleri proclivis egeſtas.

Intelligitis, *Auditores*, in rerum ἀδιαφόρων cenſu poſitam eſſe *paupertatem*, eiq; oppoſitas divitias: adeoq; nec illam, nec iſtas temere laudandas aut vituperandas. Quis laudet in homine flagitioſo *paupertatem*? Quis in innocente vituperet? Laudari in illo nequit, niſi flagitioſum laudes: nec vituperari in iſto poteſt, niſi innocentem vituperes.

Ignoſcant mihi *fervidi oratores*, ſi, quod ſentio, liberius dicam. Neutri aſſentior; ad circumſpectam moderationem utrumq; revoco. Laudo *paupertatem*, ſed cũ virtute conjunctam; vitupero, ſed â virtute abjunctam. Neque

quæ

quæ in utramq; partem, pro *paupertate* & in *paupertatem* ſatis pomposè & animosè dicta ſunt, abſq; cenſoriâ notâ mihi videntur dimittenda. Nimis rigida in *paupertatem* ſententia: *paupertate* nullã eſſe graviorẽ, nullã perniciosiorẽ ærumnã, irati Numinis eã eſſe indicem, divinæ Imaginis expultricem, bonæ mentis labem, iuſtitiæ, temperantiæ, prudentiæ & fortudinis hoſtem, deſperationis conciliatricem, proditionum, cædum, latrociniorum, furtorum, perjuriorum fontem. Quis, Deum immortalem, patientibus iſta admittat auribus! Quis ferat? Quis probet? omnia iſthæc flagitia *paupertati* ſi impingantur, quæ ſecula tandem innocentem nobis pauperẽ exhibebunt? Uno eodemq; calculo damnandi erunt, quotquot ab orbe condito fuêre pauperes. Damnaberis, ô innocentisſime humani generis *Redemtor!* Quia, in hiſce dum exulares terris, te nemo pauperior: Damnabimini, omnes in populo Dei olim & hodiè pauperes, qui magna Eccleſiæ pars fuiſtis, & etiamnum eſtis. Damnabimini, quotquot ſacris operamini & melioribus libris impalleſcitis. Ita enim pleriq; adverſam literati ſortem habent, ut familiariſſimè

utantur *paupertate*; cui quaſi Sacramento ſe addicere vulgus putat, quamprimùm ſua inter doctos profitentur nomina. Quaſi literas bonas, ſivè ſacras, ſive ſeculares profiteri nequeat, niſi qui *paupertatem* profiteatur. Hinc oculus ille plebis malignus, hinc invidia, hinc obtrectatio, ſi ad rem paulo attentior Eccleſiæ Scholæve Doctor liberaliora ſuis vitæ parare ſubſidia laboret, & è triſti non nihil eluctatus pauperie frontem exporrigat, divitumq; è plebe veſtigia pronus haud adoret.

Prætereo magna illa veterum, apud *Græcos* & *Romanos*, ducum & Philoſophorum nomina: in quibus virtutem magis & doctrinam, quàm paupertatem venerata & admirata eſt antiquitas: Neq; vero, quia tam prodigioſè *paupertatem* infamari non patior; in nimias ideo laudes ejus me præcipitem effundo. Non greſſu minus cauto heîc quoque incedendum puto. Quis enim omnes à flagitijs abſolvat pauperes? Rudis egeniq; vulgi quàm bruta vulgò ſecuritas, quâm cyclopica impietas! Neq; ullum facile crimen mihi nominaveris, quod *paupertati* ſe in multis non ſociet, exoſoſq; bonis mentibus pauperum plurimos

non

non reddat. Nemo Satanâ pauperior; nemo flagitioſior, nemo infelicior. Audio quidem à *Platonico* philoſopho prædicari *paupertatem* in *Ariſtide* juſtam, in *Phocione* benignam, in *Epaminondâ* ſtrenuam, in *Socrate* ſapientẽ, in *Homero* diſertam. Atqui non magis arduum mihi monſtrare *paupertatem* in *Diogene* impudentem, in *Juda Iſchariote* avaram & impiam, in *monachis* libidinoſam, in veneficis exitioſam, in promiſcuo vulgo rudem, injuſtam, intemperantem, timidam: Et quid non? Qui artium inventricem & urbium conditricem laudant *paupertatem*, nimio ejus mihi amore videntur excæcati, & de coloribꝰ cæci judicare. Non enim *paupertati* tranſcribendũ illico, quod pauperum debetur ingenijs & induſtriæ. Taceo, quod & divitiæ in gloriæ hujus ſocietatem admitti eodem jure poſſint & debeant. His enim provocati inopes nobilibus hiſce curis ſuas occupant mentes, &, dum operarum expectant pretia, partus hoſce artium & ſcientiarum edunt precioſos. Quis enim hanc invideat aut neget gloriam *Magni*

Alexandri talentis, quæ *Ariſtotelis* & tot operarum excitarunt in animantium perveſtigandis naturis ſtudia ? Ut neſcias, utrum plus *paupertati*, an *divitijs* pretioſus ille hiſtoriæ animalium theſaurus debeat.

Neque noſtro defuêre ſeculo, qui rerum naturalium hiſtoriam divitiarum ſuarum impendio locupletarunt, & inſignem divitiarum poſteritati uſum commendarunt. Quid igitur? Non *paupertas* invenit artes, ſed *paupertati* junctus animi vigor & mens tam paupertatis, quàm divitiarum contemtrix. Artes intelligo nobiles & liberales; quæ ut non niſi feliciora habitant ingenia: ita non niſi à felicibus & ſupra omnia fortunæ ludibria poſitis inveniuntur.

Neq; adeò ſibi velim blandiri pauperes, ut ipsâ *paupertate* devinciri Numen ſibi perſuadeant; quando cum impietate conjunctam *paupertatem* magis execratur DEUS, quam impias divitias. Securitatem & tranquillitatẽ paupertatis qui nimium prædicat, non intelligere, aut ſatis attendere mihi videtur, majoribus plerumq; pauperes, de parandis vitæ ſubſidijs, angi curis: quàm de ijs vel conſervandis vel augendis divites. Pericula verò, quæ imminentes

nentes bellorum tempeſtates minantur, pauperum audacia potius, quàm *paupertas* contemnit: etſi non minus eos, quàm divites, ſuperioribus annis, trepidare vidimus.

Neq; inanis ille metus: Qui enim prædonum ſatiare avaritiam *paupertate* ſuâ non potuerunt; quam afflicta, quæsò, inſolentiæ militaris fuere ludibria! Quàm miſera libidinis militaaris mancipia!

Sed cum in belli modo mentionem inciderim, receptui cano, vaſa conclamo, & *paupertatis* hiſce caſtris excedo. Lando *Paupertatem*, ſed cum virtute conjunctam; Vittupero *paupertatem* ſed à virtute abjunctam.

DIXI.

Recitata
à
Matthia Schultzio ab Oſchitz, Boh.

ORATIO QUINTA,
QUA CUM CAUTIONE VINdicatur paupertas.

NOndum argumento ſatisfactum arbitror: viri, &c. Multa pro *paupertate*, multa in *paupertatem* dici, omnia eidẽ adimi, quaſi reciproco & inquieto quodam verborum æſtu, audiviſtis. In quo acquieſcat, nondum habere mihi mens videtur. Qui humanę felicitatis in *paupertate* ſummã collocat; ex animi ſententia, ut ego quidẽ opinor, nõ loquitur. Ad ſpontaneã *paupertatẽ* ſi deſcẽderet, &, quam tantoperè verbis deprædicavit, exemplo ſuo cõmendaret, & liberali hoſpitio donaret, equidẽ in animi ſententiã arbitriũ mihi nõ ſumerẽ. Qui verò in paupertatẽ veluti ſentinã, quicquid flagitiorum orbis habet, corrivari, vel ex eâ derivari magno niſu modo contendit: nec ipſe ex animi loquitur ſententiâ. Nimis ater iſte calculus: cenſura, quod pace ejus dixerim, nimis iniqua, ſi ex animi fluxiſſet ſententia: quam argumentis modò preſſam & oppreſſam cum audiverim, hoc me cenſuræ ſublevatum

labore puto. Ad arbitrum venio, veniam, qua par eſt modeſtia, præfatus. Cum enim libera heic eſſe judicia videam, & mihi liberum eſſe, qui ad dicendam ſententiam vocatus huc veni, exiſtimo. Longis verborum ambagibus auditores jam propemodum fatigatos non detinebo: paucis me expediam.

Nec laudandam in ſe, nec vituperandã eſſe *paupertatem* audivi. Hæreo: nondum liquet: accuratiori opus eſſe indagine ſentio. In bivio meditabundum *Herculem* intueor: hunc imitari geſtio. *Paupertatem*, inquis, nec laudo, nec vitupero: Conjunctam illi *virtutem* laudas, *vitium* vituperas. De *paupertate* quid ſentias, nondum capio. Dignam laude *virtutẽ*, vituperio *vitium*, nemo neſcit: Laudem an vituperium *paupertas* mereatur, qui neſciant, fortean haud pauci erunt.

Neq; diffiteor ego nimiâ laude oneratam eſſe *paupertatem*: nimioq; plus quàm oneratam vituperio: non tamen vel vindicat eam, vel accuſat ſilentium, aut in ἀδιαφόρων cenſu collocat virtutis vitijq; commercium, in quod ſæpènumero incidit, & vel alienam culpam

luit,

luit, vel, ut hominum varia ſunt judicia, alienum fert præmium. Ita cum *virtute* ſi agendũ eſſet, causâ caderet. Nunquam enim tam in homine ſerena & ſincera *virtus* lucet, quin aliquam vel nubeculam, vel certè maculam (quã in ipſo quoq; *ſole* hominum obſervavit curioſitas) ei adſpergat vitium: quod virtutis familiam adeò ambit, ut ejus & ſpeciem & nomina, quæ ingenioſa hominum malitia, jam pridem mentiri cæperit. Neq; *vitium*, niſi rigidiorem experiretur cenſuram, acriuſq; judicium, ſuis obſoleſceret ſordibus. Nam ſi eo tantùm nomine laudanda *paupertas*, quia *virtutem* quandoq; comitem habet: & *vitio* ſuam deberi laudem nemo inficiabitur; niſi qui ullo vitiorum confinio virtutem inquinari, ullove virtutis radio vitiorum in eodem homine illuſtrari tenebras, reclamante veritatis voce, inficiatur. Ipſam igitur in ſe æſtimari *paupertatem* velim, extra *virtutis*, extra *vitij* contubernium poſitam: Ipſa quid poſſit, quid ſoleat indole ſuâ in humanum conferre genus. *Sapientum* ſuffragio ſi componenda lis eſſet: abſolvenda & cum laude abſolvenda *paupertas* foret. Quis

enim

enim, niſi forſan in tẽperantior *poëta*, paupertatem vituperavit? Quis non ſapientum vel Theologorum, vel Philoſophorum laudibus in cælum extulit? Niſi quis fortean mihi objiciat *Nicolaum Abbatem Panormitanum*, qui cum injici mentionem librorum, *de bono paupertatis*, audijſſet, hoc epiphonemate, in *Juris Canonici* gloſſis, occurrit: *A tali bono cuſtodi nos Domine*. Ita enim comparatum eſt hominum genus iſtud, ut *paupertatis* profeſſione illudat orbi, & pleno laudet jejunia ventre; jactetq;, intra ſcortorum amplexus, caſtitatem. *Theologos* intelligo veros, ſinceros: *Philoſophos*, non qui ſecularibus æſtuant curis: ſed qui ſapientiæ arcanis mentes occupant.

Felix quem teneris mater ab unguibus
Et Regina rapis ſimul:
Non illum faſcibus arduum
Verſat nobilitas mala
Curarum facilem fluctibus, ut ſuis
Orbum ſideribus rotet.

Veſpruci-us Spurin-na, od. 2. Ita *poëtæ* verbis compellare *Paupertatem* mihi fas ſit. Non tamen ſententiam præcipito, qui ultimum mihi arbitrium juſſus ſumo. *paupertatem* è ſuá æſtimatam indole nondum damno, nondum abſolvo.

Video enim in vorticoſo freto inter ſcopulos me navigare, anguſtã mihi curſus monſtrari lineam, extra quam hiantes præcipitiorum & naufragiorum horreſco fauces: *ſcyllam* formido & *charybdim:* Quid enim: Sinè cautelâ *paupertatem* laudem? Atqui deprecatus illam *Sapiens* ille *Agur*, ſanctus Propheta: *paupertatem mihi non dederis.* vituperem? Sic verò, ex *Logicorum* regulis, laudandæ mihi erunt divitiæ.

Prov. 39. v. 8.

Atqui & has deprecatus idem *Agur: Divitias mihi ne dederis.* Nec me fugit quàm periculoſa ſit divitiarum poſſeſſio: quàm ſpinoſa res divitiæ: quas *ſpinis* ab ipſo Chriſto comparas video.

Matth. 13. v. 22.

Pungunt eæ & lethaliter plerumq; vulnenerant, non attrectantium manus, ſed mentes: ſuffocant, *Chriſti* phraſin agnoſcitis, non meatum gutturis Spiritui intercludendo, ſed vitalé divini

divini ſeminis vim elidendo, extinguendo; Indeq; viam ad cæleſtem patriam pleriſque inacceſſam faciunt. Non dicerem ego, niſi jam pridem dixiſſet *Chriſtus: Facilius eſt*, inquit, *Camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem in Regnum Dei introire.* Quis tantò cum periculo divitias expetat! Quis laudet! Cur divitias deprecaretur; hæc *Aguri* ratio erat: *Ne ſaturatus ementiar, ac dicam: Quis eſt Jehova?* Videte quæſo Cyclopicam ἀθεότητα in divitiarũ excubantem veſtibulo. Quis abſque horrore ingrediatur? Matth. 18. v. 24.

Centauri in foribꝰ ſtabulant, Scyllæq; biformes, Virgilius 6. Æneid.
Et centum geminus Briareus ac bellua Lernæ
Horrendum ſtridens, flammiſq; armata Chimæra
Gorgones, Harpyiæq; & forma tricorporis umbræ.

Neq; verò, cur *paupertatem* deprecaretur ſanctus DEI vir, cauſa erat nulla. *Ne pauper*, inquit, *factus, furer, & nomine Dei mei abutar.* Quis hoc cum periculo *paupertatem* expetat! Quis laudet! Poſſem quidem excuſare *paupertatem*, & omnem transferre culpam in paupe-

rum improbitatem. Longè facilius, longè diſertius idem propheta poterat: cui tamē hæc ficulnea folia *paupertatis* tegere turpitudinem & extenuare periculum non videbantur. Altius ille humani animi rimatus imbecillitatem ferendæ paupertati eam non eſſe facile intellexit, &, ſuis quoq; diffiſus viribus, Æthnâ gravius *paupertatis* onus anxiè deprecatus eſt. Primum furti incentivum *paupertas* fuit: alieno enim manus non adfert, niſi qui eo eget, aut egere ſibi videtur: quæ avarorū in felicitas: quibus tàm deeſt, quod habent, quàm quod non habent. Triſte *Paupertatis* regnum!

Virgil. AEneid. 9.
Veſtibulum ante ipſum, primisq; in faucibus
Luctus & ultrices poſuere cubilia curæ.
Pallentesq; habitant morbi, triſtisq; ſenectus,
Et metus, & maleſuada fames.

Quis pedem huc inferat? quis illatum non referat? Expectatis, opinor, de *paupertate* quid tandem ſentiam. omnibus probè penſitatis, nec *mendicitatem*, nec *divitias*, ſed *modicam* laudo *paupertatem*, ſuâ contentam ſorte. Hanc *ſapientum* expetendam votis arbitror. Erroris, præcipitij, naufragij ſecurus hujus velis fret: anguſtias ingredior. Hi

His remis vada livida verro. Virgil.

Cynoſura mihi, magnes mihi prophetica ſententia, quæ *paupertatem* (mendicam intelligo & extremam egeſtatem) & *divitias* deprecata cibum petit *demenſi* ſui. Aurea hæc *mediocritas* illa tantopere ſapientibus laudata & affectata. Huic multa, quæ in *paupertatis* dicta ſunt laudem, vendico. Non divitum ea inquinatur vitijs, non *mendicitatis* contaminatur ſordib⁹.Amat virtutē,amatur à virtute: cur inſoleſcat,causā non habet;cur deſperabunda clypeū abijciat,causā non habet: Stat erecta: ingreditur ſecura: dormit tranquilla. Cū enim ad intimam familiaritatem non admittat *Plutonem*,irrequetum illum turbarumq; plenum tyrannum,ſuo tuta & ſecura præſidio non curis angitur, non metu excrutiatur. *Fortunæ* bona magni non facit, quia multa non expetit; neq; tantopere jacturā formidat, quā reparatu facilē eſſe ſibi perſuadet. Nemo enim unquam fœnore argentum ſumſit, ut emeret caſeum, panem, olivas: ad vitam tolerandam vix quiſquam ſufficientium rerum pauper eſt: niſi ignavia, niſi luxus ad mendicitatem damnet in-

felicem. Cumq; non niſi vitæ tolerandæ ſervire *fortunæ* bona intelligat, plerumq; ad virtutem inſtrumentis ijs utitur, & vel divitiarum vel egeſtatis libera compedibus *bonæ mentis* palæſtram ingreditur, in qua ſe jactat arenâ. Aurea mediocritas! Tu viam ad virtutem pandis; Tu honeſtatis magiſtra es : Tu pacis conciliatrix: Tu Rerumpublicarum conſervatrix. Sed heus tu, inquis, *arbiter:* Rerumpublicarum nervi & fulcra ſunt *divitiæ*; expedita ad ruinam via *paupertas*. Non moror hoc vulgi judicium: qui non *mendicitatem*, ſed mediocrem laudo *paupertatem*, & hanc Rerumpublicarũ conſervatricem prædico, non ſolus, ſed cum *Platone* & reliquâ *Sophorum* turbâ.

lib. 4. de re publ.

Hinc divinus ille *Plato* magiſtratibus providendum eſſe monet, ne, inſcijs ipſis, opulentia & inopia in civitatem irrepant : divites enim delicias & inertiam conſectari, inopes verò res novas moliri & ſtudia ambire ſordida. Utrique, inquam ego, in Rempublicam vitia infundunt, humanitatem utriq; exuunt. Ita me arbitri functum officio arbitror : Ita inter extrema inceſſiſſe tutum: non tamen tantâ animi fiduciâ,

ciâ, *Auditores*, quin veſtro me arbittio ſubijciam. Ardua res, quam tentavi, ſi maturiore ponderanda judicio videatur, arbitrum & judicem facilè fero: quod dum fiat, *auream mediocritatem* ab *Agure* optatam bonis mentibus voveo.

Tu DEUS, ſumme dictorum factorumque noſtrorum arbiter, hanc nobis *mediocritatem* affere: Divitias tàm periculoſas non petimus; demenſi noſtri panem ſupplicibus votis te exoremus, ſine: Compeſce *Martiales furias*, quæ mendicitatem nobis ſuperioribus annis minatæ in noſtras ſævierunt reculas, &, quæ tua nobis multo ſudore noſtro largita eſt benedictio, immanibus abſumſere rictibus. Immitte ijs dextram tuam, inijce frænum, & *Danieles* tuos è medijs Leonum faucibus incolumes eripe: mediocritati ſuæ afflictos reſtitue: famelicos ſatura: dejectos erige: patriæ extorres redde: afflictæ vulnera Eccleſiæ ſana: ab *Harpyis* porrò *rutam Anhaltinam* defende: labantem hanc ſcholam ſuſtenta: pacem terris redona & mentem ſanam in ſano corpore conſerva: donec ex obſcurâ hac miſeriarum valle ad beatæ

æter-

æternitatis tuæ trasnlati ſudum innoxijs tuis æternùm perfruamur divitijs, ad ſacroſancti tui nominis gloriam. Amen.

Veſtræ Viri, &c. in audiendis nobis patientiæ & humanitati quantum debeamus, facilè intelligimus. Tædioſam ſubindè noſtram vobis infantiam accidiſse facilè credimus: Vicit tamen, vicit moleſtiam veſtra humanitas & inbalbutientes tyrunculorum conatus benevolentia. Nihil, quod rependat, noſtra habet tenuitas, niſi gratam tanti beneficij æſtimationem, quam apud nos nunquam intermorituram pollicemur.

DIXI.

Recitata à

LUDOVICO VVIESIO.

Ad Juventutem

GERMANICAM,

& in ſpecie,

ANHALTINAM.

REctius in patrijs *plantas* adoleſcere terris,
Nî transplantentur forſitan ante diem,
Cultores norunt. Eadem magmenta *juventæ*
Patria promittit, ſi benè culta, ſuæ.
Non credit vulgus: credit perijſſe *juventam*
In Patriâ, & patrias rodit ubiq; Scholas.
Scilicet his *lolium* & ſteriles dominantur *avenæ*:
Sola *Sophos* gignunt extera regna, Scholæ.
Parciùs iſta viris! Non credunt extera regna:
Robora, nec credunt, queîs ſua nota, Scholæ.
Inde ſuam *Gallus* patriam decantat, & *Anglus*,
Regna ſua *Auſonius* laudat, *Iberq́;* ſua. (ſtris,
Hiſq; putant pulchrum *virtutem Artemq́;* magi-
Queîs vitam hauſerunt, addidiciſſe locis.

Solane *Teutonia* ad ſteriles damnata labores?
    Et Patriæ ſolus Numina, *Teuto*, fugis?
Hic vulgi eſt error noſtri. *Germania* fœtus
    Fingere ſola ſuos, ſola fovére poteſt.
Patria quæq; ſuam ſobolem finxiſſe tenellam,
    Eſſeq; *virtutis* quæq; magiſtra poteſt.
Quod *Gallus* novit, novit *Germanus*, & *Auſo*
    Quod novit, quid te noſcere, *Teuto*, vetet?
Nî ſolum fingas te adverſo ſidere natum:
    Nî fungum credas, non hominem eſſe putes.
Noſce tuas, *Teuto*, vires, & viribus alto
    Teutonicis crede ſanguine digna tuo. (vis
Quod *Gallus*, quod & *Auſo* nequit, de ſtipite quo-
    Mercurium curvo fingere, *Teuto* nequit.
Hiſce pares, aliiſq; pares, *Germania*, vires
    Eccur infelix deſpicis ipſa tuas?
Cur alio quæris ſub cælo, aliiſq; ſub aſtris,
    Quod tibi dat cælum, ſidera dantq; tua?
Sint *Mecænates*, non deerunt, *Teuto*, *Marones*:
    Qui juvenes forment *Aſcanis* arva dabunt.
Auctibus his ſurgent juvenes felicibus arvis,
    Quos animi felix ducit ad aſtra vigor:
Quos cultus faciles juvat admiſiſſe laborem:
    Et ſecli labem dedidiciſſe juvat:

Quos

Quos non corrumpit blanda indulgentia matrũ:
Quos non enervat gratia blanda *patrum*.
Ecce damus ſpecimen. Surgunt ætate tenellâ,
Et ſumunt juvenes ora animoſq; virûm.
Ora animoſq; virûm ſumunt, & rebus adaptant
Et vocem & geſtum. Nil niſi facta virûm!
Macti animis juvenes: macti virtutibus iſtis:
Hac unâ, iuvenes, itur ad aſtra viâ.
Vos reliqui tandem patrias quoq; diſcite *Muſas*
Et colere & votis expetiiſſe piis. (arenas,
Quæ glebas habitant pingues, habitant quoque
Queîs genitor tollit *Sorbo Helicona*, Deæ.

Marcus Fridericus VVendelinus,
Gymnaſij Anhaltini Rector.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE